



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

Bucer, Martin

Genevae, 1613

De ceremoniis circa Ordinationem

urn:nbn:de:hbz:466:1-34315

Vicesima sexta Accusatio.

*De Ordinatione & Constitutione Pastorum.**Vtrum Ordinatio sit Sacramentum.**De Ordinibus.**De Ceremoniis circa Ordinationem.**Quod Ordinandi debeant doctrinam in Libro Reformationis contentam confiteri, & in ea se permanuros spondere.*

CAP. CXV.



AEC Accusatio quatuor partibus continetur: quarum prima est. *Librū non numerare Ordinationē inter Sacramēta.*

Ad hoc supra responsum est in Article de Sacramētis in genere. Quod verò cōsecratio in eo sit, quādo quis ordinariē ad ministeriū instituitur, vt D. August. in eo loco quem Aduersarij citat, scribit: quodq; manū impositio, si ad imitationē exempli Apostolorū ad Ordinationē rectē adhibeatur, sanctū sit gratiē signū, atque idcirco non malè Sacramētū dici possit, sicut etiam D. August. appellat, contra hoc nihil dicit Liber Refor. nominat hoc opus Ordinationē ad ministeriū Ecclesiæ, sicut antiqui omnes id appellauere.

Hoc loco rursus animaduerte, Christiane Lector, quid sit de quo Aduersarij pugnant. De ordinaria Examinatione & probatione ordinandorum ad Ecclesiæ ministerium, vnā cum testimonio fidelis populi, eiusque erga tales voluntate, quę omnia S. Patres, vnā cum Spiritu S. tam seriō requirunt, nihil omnino curant, in quo & legem Dei, & omnes Canones manifestē transgrediuntur: nec tamen eius criminis rei esse volunt: interim pro nomine acerrimē decertant.

Altera pars est, Librū tantummodò mentionem facere de instituendis Pastoribus: Quasi in Ecclesia non sint alij ordines, quā Pastorū dūtaxat.

Responso.

TItuli quidem apud Aduersarios quā plurimi sunt, at vbi apparent vera ac probata Ecclesiæ ministeria? In hunc finem compositus est Liber Refor. vt in eo cerni queat, in quibus rebus Christiana Reformatio apud plebem quā citissimē posse efficaciter institui: non quod propositum fuisset, singula Ecclesiæ ministeria & negocia ad viuum rescare, & exactissimē perscrutari. Alioquin constat, Antiquos isthęc ministeria tam in ordinatione, quā in opere distinxisse, munusque Episcopale pro primo ac supremo Ecclesiæ ministerio habuisse, cui præcipua animarum cura, & administratio ministerij Ecclesiastici in ea vrbe, in qua quilibet ad Episcopatum ordinatus erat, nec nō in iis Ecclesiis, quę in eius vrbis territorio erant, commendabatur, Consilio tamen & adiumento Presbyterorum, totiūque cleri præstanda.

Alterum ministerium fuit Presbyterorum, qui in verbi prædicatione, Sacramentorum administratione, exercitiōque disciplinæ Ecclesiæ Christi vnā cum Episcopo gubernare debebant, tam in vrbe, quā in territorio, & singuli in iis locis, qui peculiariter eis deputati erant.

Tertium